



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De reliquis nugis nouae visitationis, cap. 45.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

oportet nos agere, ne propter personas, potestatem pariter vilipendamus: imò propter potestatem etiam vilissimas personas honoremus. Excommunicatio iniusta nobilissimum meritum est: ideò dulciter ferenda, si excusationi tuæ humiliter præstitæ, locus non fuerit datus. Hic enim dices illud Psal. cviiij. Maledicent illi, & tu benedices. Tantùm vide, ne potestatem cõtemnas. Vis potestatis prodest, contemptus verò tete perdet. Si enim aduersario iubemur consentire & benigni esse in via, quantò magis dulcissimæ matri Ecclesiæ, etiam si per indignissimos nos flagellet. Hæc ibi. Ex quibus certè intelligimus, quomodo miser rursus condemnat seipsum toties & tam grauitè, qui excommunicationem, vel iustissimam, impatientissimè tulit, & potestatem simul cum Papa & Ecclesia superbissimè contempnit, hodièque adhuc contemnit, conuiciatur, maledicit, & blasphematur.

De reliquis nugis nouæ
visitationis.

C A P. XLV.

Multa inaniter nugatur hic Cucullatus, imò excucullatus iste Papa Saxonicus, De fonitu campanæ, De nouis superattendentibus, De præceptoribus & Scholis, modòque

DE RELIQUIS NUGIS.

instituenti pueros, tot sanè confertiens leges grammaticales, vt ex Visitatore Theologo Teuthonicum Priscianum subito factum esse putes. Nugo sanè molestissimus tam inerti ac inani loquacitate, sal prorsus infatuatum, quod iam pridè eiici foras conculcarique debuisset, ne tot nugacibus, imò pestilentibus impiisque ac seditiosis libris, & lectoribus, & reprobatoribus negotium faciens, bonas horas pessimè perderet.

Quid ergo frustrà tam prolixè nugatur, nūc de Campanis, quas videt à Lutheranis suis magna ex parte conflare in bellica tormenta? Quoties derisit Episcopus campanas more antiquo benedicentes, appellans eos victores & baptistas campanorum? An non comprehendit eas in XII. faciebus Antichristi? Cui profunt hæ nugæ eius? Lutheranis enim suis nihil persuadent: Catholicis autem longè melior est vsus cāpanarum, quàm vt ab Apostata hoc primùm discant.

In cap. Babylon. & de abroganda Missa, & cōtra Catharinum.

De abroganda Missa, cōtra statum Ecclesia.

De superattendentes verò quid vult? Cur Teuthonicè superattendentes vocat potius quàm Visitatores aut Episcopos? Quis rusticorum sciet nominare superattendētem? Alibi enim dicit, quòd Episcopus significet Visitatorem, alibi superattendētem. Cur ergo non posuit hīc, pro longo vocabulo Latino breue aliquod Teuthonicum, quorum in Ecclesiastico suo multa commemorat? Ait enim Episcopus Græcè, Latinè superatten-

dens, Hebraicè Visitator, Teuthonicè vigil, custos, speculator dici potest. Cur igitur officium Episcopi assignat novis superattendentibus sub insueto potius vocabulo, quàm sub vſitatissimo nomine Episcopi? An quia tam viles & contemptibiles sunt superattendentes illi novi, vt absque risu & ludibrio plebis Episcopi nominari non queant? sic equidem existimo: Nam tales reuera sunt rurales illi superattendentes eius (quos implicite vult Episcopos intelligi) vt sine cachinno rusticorum Episcopi nominari non possunt. Ait verò, Si quis Parochorum superattendentem non audierit, & admonitioni eius non acquieuerit. Superattendens absque mora indicabit Præsidi, Præses Principi, vt is in tempore iustam prouidentiam facere queat. Ecce (Illust. Princeps) adulatorem improbum, qui, vt emētiatur vim autoritatēque & terrorem ridiculis legibus suis, per adulationem arrogat & attribuit tibi omnem potestatem & cognitionem super causas fidei, Ecclesiasticāque & spiritalia negotia: cū non ignoret, eam cognitionem & potestatem ad Episcopos, non ad sæculares principes pertinere. Sicut ipse multis rationibus & scripturis ad longum declarauit infeditiosissimo illo libro suo de sæculari potestate. Vbi inter plurima sic ait: Vis scire, cur Deus permittat sæculares Principes tam grauitur incurrere ad periculum? *In lib. de potestate sæculari.*

DE RELIQUIS NVGIS

Dicam tibi (inquit) Deus tradidit eos in reprobum sensum, facturus finem cum ipsis, quemadmodum & cum Ecclesiasticis Domicellis. Inelegantes enim, domini mei, Papa & Episcopi, deberent Episcopi esse, & verbum Dei prædicare, hoc omittunt, & facti sunt Principes sæculares imperantes legibus quæ ad corpus & bona respiciunt, pulchrè peruertentes ordinem, intrinsecus regere deberent animas per verbum Dei, regunt autem extrinsecus, arces, oppida, terras, & prouincias, & animas excruciant nefandis atrocitatibus. Sic & sæculares Domini deberent terras & prouincias gubernare extrinsecus, hoc omittunt, nihil sciunt amplius quam excoriare ac deglubere, vnum thelonium super aliud, vnum tributum super aliud imponere. hinc vrsus, illic lupum emittere: ad hæc nullam apud eos iustitiam, veritatem, aut fidem repereri sinere: & agunt ea, quæ latronibus quoque & nebulonibus nimis turpia essent. Regimen itaque eorum sæculare tam profundè iacet, quàm regimen Ecclesiasticorum Tyrannorum. Idcirco Deus eorum quoque sensum subuertit, vt peruersè attentet, spiritaliter regere animas, sicut illi regere volunt sæculariter, vt confidenter onerent se peccatis alienis. Deique, & omnium hominum odio, donec intereant simul cum Episcopis, Presbyteris, & Monachis, vnus nebulo cum altero. Hæc ibi. Et quidem scripsit ista biennio ante cladem Rusticorum. Quæ

si iusta animaduersione correxissetis vos Principes, vt facilè poteratis & debebatis, quanta, obsecro, mala præcauissetis? Viuerent rustici vestri, starent arces, Tempa & Monasteria integra & inuiolata, nulli essent Suermeri, nulli Sacramentarij, nulli Anabaptistæ, nec essent tanta in vrbibus dissidia, nec tanta morum & omnis disciplinæ corruptio, nec tam misera populi in fide dubitantis fluctuatio. Cæterum, quomodo super attendere debeant Episcopi, vt populus rectam fidem sanatamque doctrinam à suis pastoribus & prædicatoribus audiat, in Conciliis & Rom. Pontificum Decretis abundè ac diligenter cautum ac declaratū est, vt vel inde agnoscat (Illust. Princeps) quid meritis sit impia temeritate Lutherus, quando sanctorum Patrum Decreta, & Roma. Pontificum Decretales Vvittembergæ combussit, quando quidem vel anima Decretalium melior sit omnibus Visitationis huiusce inanibus nugis. Sed & leges in Codice, & Constitutiones in Autenticis, Ecclesiasticas causas & negotia episcopis, non mudi quibuslibet Principibus, ne Imperatoribus quidem, addicunt, & committunt. Et tamen tantam videmus hodiè, contra hæc omnia, temeritatem ac peruersitatē in Germaniæ locis quibusdam, vt non solum sæculares Principes aliqui, sed etiam plerique Barones & Nobiles ac vrbium Senatores, nouas Reformationes in rebus Ecclesiasticis, & eas nō minus ineptas

Anno 1520.

C. de Epāli
aud.In autē. de
sanctiss. Ep
piscopo &c.

DE RELIQUIIS NVGIS

& ridiculas quàm impias, & iniquas, passim præscribunt, promulgeant, atque etiam per Typographos in totum mundum euulgent, vt eo plures habituri sint, aliquando cõtra se coram Deo, Cæsare, & Concilio suæ impietatis, & ineptæ præsumptionis testes.

De Scholis quid dicam (Illust. Princeps) si agnosceret legifer iste culpam suam, & deprecaretur prius antiquum errorem: nonnulla esset spes emendationis & reparandarum scholarum. Iam nihil agit aliud impudentissimus nugo, quàm vt inaniter verba fundat, & dissimulatis prioribus scriptis suis contrariis, nouas & numerosas leges ludorum magistris præscribat, in quos tamen nullam prorsus iurisdictionem habet, rerumque huiusmodi penitus ignarus & inexpertus videtur, vt etiam de medio grege Beanus (vt vocant) aut bachans, meliores de re Grammatica leges præfigere possit. Et fatentur nunc etiam ij, qui Lutherico fermento grauiter adhuc laborant, bonarum literarum pestem & exitium esse Lutherum. Quid enim aliud machinatus est in visione Danielis, quando sic scripsit. Duodecima & vltima facies Antichristi est chaos illud, & ianua patens inferni, incredibili facie spectabilis, Vniuersitates, inquam, In quibus periuria & abusus nominis Dei sunt introitus, deinde cõuersatio in omne scelus libera & licetiosissima. Quid autem præstant tandem? primùm, electiores Christiani

*In li. cõtra
Ambro. Ca.
tha.*

populi adulescentes hîc prostituuntur, & in patens guttur inferni proiiciuntur, vt per Idolum Moloch præfiguratum putem hanc perditionem, cui filios & filias olim dilectissimos lustrabant per ignem: vt videatur ad Euangelium funditus extinguendum, nec astutius, nec efficacius inuenisse Satan commentum, quàm Vniuersitatum erigendarum. Atque ex his lustris & speleis in gubernacula Ecclesiarum vocantur, si quando optimos vocare visum est. Et mihi fanè hæc facies vltima, omnium nocentissima esse videtur. Hæc & idgenus ibi plurima. Nec leuiora scripsit in libro de abroganda Missa priuata, quibus vehementer absteruit populos, ne filios literarum studiis manciparent. Academias (inquit) per idolum Moloch figuratas puto. In quibus optima & electior pars iuuentutis Christianæ offertur, quasi in holocaustum Deo, vt ibi erudiantur, & toti diuini fiant. Nemo enim huc filium mittit, alia opinione, quàm quod non possit vsquam melius mitti. Summum Deo obsequium præstât, quod filios offerunt formandos ad eruditionem pietatis, vtilis futuros sacerdotes, prædicatores, rectores, qui toti fiant peculium Dei, Deo, & hominibus necessarij. Huc pertinet nomen Moloch, quod Regem vel regium significat, quod hoc genus studij faciat insignitos grandibus promotionibusque, & idoneos ad regendum cæteros. Videmus

*In lib. de
abroganda
Missa, par
te vltima.*

DE RELIQUIIS NVGIS

enim ex Academiis sumi omnes, qui ad gubernacula admouentur. Et non vident parentes, nec qui vident, curât adolefcētes hīc pessimis moribus perdi, nullo prohibente. Iam scortatio, comessatio, & alia manifesta flagitia, mitius perdunt. At quòd imbuuntur philosophicis, gētilibus, humanis, impiis, & sacrilegis opinionibus, hic est ille ignis Moloch, nullis lacrimis satis deplorabilis: quum per eum hi maximè deuorentur & pereant, qui sunt studiosissimi & pudicissimi in Academiis iuuenes. Tantus est furor Dei super istam vallem Tophet & Hinnam, vt ij peius pereant, qui plurima discunt, & modestè viuunt, quàm ij qui nihil discunt, & libidinibus corrumpuntur. Hi enim nihil discunt, quod dediscendum sit. Et iis puteis abyssi imputandum est, quod sol Euangelij obscuratus est fumo putei. Ex isto enim fumo prodeunt locustę istę, quę omnes Cathedras occupant, omnia gubernacula administrant, vt Academiis ab initio mundi Satanah nihil excogitaret præsentius ad vastandam fidem, & Euangelium toto orbe, nec conueniebat hoc malum surgere, nisi in fine mundi. Hęc ibi. Nunc autem quasi talia nunquam cogitarit, omnibus his dissimulatis ac tacitis, suadet ac præcipit, vt prædicatores exhortentur populum, vt filios suos tradant Scholis, vt æducentur homines, idonei tum ad docēdū in Ecclesiis, tum ad gubernandum. Dissimulator sanè

In lib. V. is.

improbissimus, qui nō solūm per sese, sed per alios quoque, quos ad erudiendam iuuentutem natos putabamus, omnia bona studia perdere ac abolere conatus est. Quid enim aliud moliebatur ante septem iam annos propugnator eius Philippus Melanchthon, in suo Didymo? Opere precium ergo fuerit, pauca inde adducere, vt nunc ambo erubescāt, & culpam suam agnoscant. Ait itaque. Sed ne nullæ essēt in Christianismo Scholæ, Academiæ generalium studiorum, quas modò Vniuersitates vocant, conditæ sunt. Atque hoc consilio, mirum est, quàm placeant sibi, quàm salutare putent. Quo non aliud vnquam repererent neque perniciosius, neque magis impiū, & quod video non Pontificibus, sed ipsi deberi Satanæ. Ad hæc ego tum ita respondi. Videris mihi, Philippe, hîc loqui non secus ac vino somnôq; sepultus. Nec satis admirari valeo, quid sibi velit tandem tam barbara Doctorum hominum machinatio. Ecce tollitis (quantum in vobis est) è Repub. Christiana, templa, altaria, Missas, horas Canonicas, cantus, organa, & ornamenta, breuiter quicquid ad cultum Dei pertinet: omnem clerum Monasticūque ordinem exterminatis, aufertis census, antiquatis leges, Principes item & Reges sub Christianæ libertatis prætextu cōculcatis, nec erat iam reliquum vobis quicquam in quod grassaremi, nisi studium literarum, quod præcipuè floret in Vniuersitatibus. Nūc verò & has

*Philippus
Mel. in suo
Didymo.*

*Cocleus in
Philippum.*

DE RELIQUIS NVGIS

destruitis, vt summa rerum Christianarum
 deuoluatur vestra institutione ad Bohemicos
 tandem, Bacchantes, Qui in Particularibus
 (vt vocant) scholis barbarissima ignauia om-
 nem ætatem vsque ad vltimam senectutem
 consumunt, manentes semper Ioannes (vt di-
 citur) in eodem, sine ordine, sine sacerdo-
 tio, sine officio & dignitate: semper discen-
 tes, vt ait Apostolus, & nunquam ad scien-
 tiam veritatis peruenientes. Ait rursus: Equi-
 dem sapientem virum fuisse iudico Vuicle-
 sum Anglum, qui omnium primus, quod ego
 sciam, vidit Vniuersitates esse Satanæ Syna-
 gogas, & quid dici vel pium magis vel sapien-
 tius potuit? Ad quod ego dolenter ita tum
 respondi, Proh miserabilem hanc tuam in-
 saniam! Quis te sic fascinoit, ô ingeniose
 iuuenis, vt omnem prorsus & mentem, & sen-
 sum abiicias hoc nouo furore? Vbi, obsecro,
 sic insaniuit Orestes? Vbi Hercules furēs? Vbi
 Nabuchodonosor Rex magnus? An non vati-
 cinemur tibi hîc Danielis voce, Ab homini-
 bus eiicient te, & cum bestiis & feris (hoc est,
 cū Bohemiæ Bachantibus) erit habitatio tua.
 fœnum quasi bos comedes, id est, aridas par-
 tecas (vt vocant) cum bestiis illis participabis.
 Quid enim aliud portendit tibi tanta insa-
 nia? Quid scires aut haberes, paupercule, si
 non essent Vniuersitates? Facile tamen admit-
 to, vestram Vvittembergensem Vniuersita-
 tem, nunc verè (quod dolenter dico) Satha-

1. Tim. 3.

Danie. 4.

næ Synagogam esse. Vbi tot adolescentes lustrantur igne Lutherico, & crypticis initiantur sacris. Hæc & id genus multa contendimus & disceptauimus tum contra hos studiorum hostes, quos patronos & assertores optimos fore putaueramus. Qui & linguarum studium olim magnis euehebant laudibus, etiam eo tempore, quo sic contra Academias insaniebant. Sic enim scripsit ad Vvaldenses Bohemiæ Lutherus: Vt ex animo moneam, dicamque quod sentio. Vellem à vobis impetrari posse, ne sic, nescio qua persuasione, studia linguarum negligeretis, sed curaretis instaurari Scholas, vestrosque adolescentes perpoliri bonis literis, & studiis linguarum, Græcè, Hebraicè, Latinè. Persuasus enim sum, & certo est certius, eum qui vtcunque non infœliciter in sacris literis, in tractatione scripturæ sacræ versari velit, nihil acturum, nisi linguarum præfidiis, Hebraicè, Græcè & Latinè sit instructus. Qui enim tantum Germanicè aut Bohemicè callens accesserit, qui fieri potest, vt non plerisque locis labatur & impinguat fœdissimè? Et ad Senatores Ciuitatum Germaniæ. Neque nos (inquit) impedire debet, quòd aliqui se iactitant de spiritu, & scripturam parui faciunt. Aliqui item, sicut fratres Vvaldenses, linguas non existimant vtilis. Sed, bone amice, spiritus huc, spiritus illic, Ego quoque fui in spiritu, atq; etiam vidi spiritus (si omnino de propriis gloriandum est).

*In lib. ad
Vvaldenses,
de Euchar.*

*In lib. ad
Senatores
omnium Ci-
uitatum.*

fortè plusquam illi ipsi adhuc intra annum videbunt, quantumcunque etiam glorientur. Et spiritus meus etiam aliquatenus se ostendit, cum tamen eorum spiritus in angulo sit tacitus, & non multò plus faciat, quam vt gloriatur. Hoc autem probè scio, quantumcunque spiritus totum faciat solus, fuisset adhuc omnibus arbutis nimis longinquus, si me non iuissent linguæ, & certù securumque fecissent scripturæ. Potuissem & ego probus esse, & in silentio rectè prædicare. Sed Papam & Sophistas cum toto regimine Antichristiano benedimissem esse quod sunt. Diabolus spiritum meum non tanti reputat, quanti meas linguas & calamos in scriptura. Spiritus enim meus non recipit sibi nisi me solum, sed scripturæ & linguæ faciunt ei mundum nimis angustum, & inferunt ei damnum in suo regno. Hæc illo tēpore. Nunc autem in Politica sua visitatoria longè alias præscribit leges. Damnauit prius Philosophica gentilia & humana studia. Nunc iubet vt scholasticis prælegantur officia Ciceronis, Virgilius, Ouidius, Terentius, Plautus, &c. Commendauit antea linguas, nunc verò præcipit, vt ludimagistri primù dent operam, vt pueros solummodò Latinè doceant, non Teuthonicè, aut Græcè, aut Hebraicè, sicut hactenus fecerunt aliqui, onerantes ista varietate miseros pueros, quæ non solù infructuosa, verumetiam perniciofa existit. Videtur itē, huiusmodi præceptores, non puerorum quæ-

rere profectum, sed propter gloriam suam tot proponere linguas. Deinde, non debent pueros multis grauare libris, sed omni modo fugere multipliciter. Hæc isto tēpore nouus iste Nomothetes, Visitator infulatus. Quid enim aliud quærit his legibus, nisi nouū in Germania, si non Papatum, saltem Episcopatum?

Habes nunc (Illustr. Princeps) quæ nō ego modò, sed omnes ferè boni, eruditi ac cordati homines de Saxonica Lutheri Visitatione sentiunt. Quàm sanè multis & rationibus & scripturis redarguit doctissimus & laboriosissimus vir D. Iohānes Fabri, In quam & D. Ioh. Eccius largam parauit segetem, si plura desideres. Ego autem non tam meis, quàm ipsius Lutheri verbis eam redarguere statui, ob eam sanè causam potissimè, vt in gratiam Principis mei, qui celsitudinem tuam iure consanguinitatis plurimùm amat, ostendere tibi, & per te aliis Lutheranis, qualis sit Lutherus vester. Magno quidem labore multoque tædio & indignatione libellum hunc festinans scripsi, perseuerare tamen iussit me spes aliqua, si fortè ex tam fœdis & barbaris eisque toties contrariis inter sese dogmatibus vnus eiusdemque Lutheri, incipias tandē cogitare, quæ res tendat, quid Cæsari, aut Concilio propediem respondere queas, si Lutherum tuum tā apertè tibi reuelatum atque depictum, & ob oculos positum, nondum rectè inspicere uolueris, vt cognoscas, quale monstrum tamdiu

DE RELIQ. NVG. NOVAE VISI.

3. Pet. 3.

foderis: aut si tua fortè celsitudo hæc omnia
contemnat, pauci saltem Lutheranorum, qui
nondum sunt indurato corde, videant qualem
sequuntur contra Ecclesiam in firma Petra so-
lidatam (extra quam nõ est salus) ducẽ. Quòd
si omnes ita contempserint, satis tamen fuerit,
monstrasse Catholicis nostris, quale porten-
tum habeant Lutherani, quale profectò nulla
vnquam natio sub sole habuisse reperitur. Vn-
de fit, vt huic libello meo nullum vnquam in
terris, sed neque in cœlo, neque in inferno, si-
mitem fuisse arbitror, vbi septem capita vnus
eiusdemque viri tam diuerso & contrario in-
ter sese colloquio dogmatumque disceptatio-
ne contendant, rixentur, pugnent. Benedictus
Deus, cuius gratia iuante, tam tediosus labor
iste iam absolutus est. Qui & Ecclesiam suam
misericorditer respicere semel dignetur cõtra
septiceps monstrum istud, vt vel similem vel
grauiolem pro illa in Lutherum hunc operam
suscipere deinceps necessarium nõ sit. Amen.